

princ. Institut. de testam. ordin. Hoc autem non ideo, quasi scribendum sit (*jurisdictio*) quippe cum id ad Grammaticam spectet, quam Jureconsulti non docent, ut interdum Theorici præceptores sibi imaginentur, quâdo nominis figuram, hanc derivationem respuere docent. Etsi autem liberiores sint Jureconsulti in proponendis suis notationibus, attamen præferre solent reales, Grammaticis derivationibus, nisi & illæ Logicæ sint simul. Hinc jam colligi poterit, quomodò rejiciatur Logica acceptata, magis Grāmatica. Nam ex Logica ferè tota cognitio hujus materiæ dependet, quando videlicet disputatur utrum jurisdictio, merum vel mixtum imperium concessum videatur, hæc quæstio ex ditione seu territorio cui jurisdictio vel imperium cohæret, magnum lumen desumit, ut *infra* videbimus: id quod de altera notatione seu potius Grammatica derivatione prædicari nequit.

THEORICORVM PRÆCEPTORVM

propositio quarta.

*Significatio
vocis Juris-
dictionis.*

De significatione vocis major controversia est. Eam autem modò generalem esse, ut etiam merum & mixtum Imperium sui ambitu complectatur, modò specialem, ut rectè post Doctores Wesenb. tradidit *consil. 95. num. 11.* Latam tamen hanc acceptionem Wesenbec. *in paratit ff. h. tit.* videtur ad usum hodiernum potius, quàm ad jus vetus referre. Et Equinarius Baro eam ab usu juris & aliorum autorum alieniorem aliquanto esse existimat. Eoq; an hæc generalis acceptio propria sit, an impropria, anxie inquisiverunt Interpretes, Treutl. *in disp. de jurisd. thes. 7 lit. B.* eam propriam appellat. Wesenb. & Equinarius Baro contrà impropriam. Quomodo generalem eam usurpationem abusivam vocat Suerinus *repet. lect. cap. 6.* Nos Treutleri opinionem veriore credimus. Et
 contrà